Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Fab. IX. Socrates ad Amicos.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

Visual Library

Non forma, ſed virtus iuuentutem commendat.

Quod hac fabula adeo commendatur, ſaepius temetipſum conſidera. Fuerat cuidam filia deformis, et filius longe omnium pulcherrimus: qui, cum matris e gynaeceo accepiſſent ſpeculum, luſu iuuenili inſpicientes coeperunt alterius vtrinque faciem atque ſuam componere. Filius formam praedicat ſuam excellentem. Id aegre ferens ſoror, vanam eius accuſat arrogantiam, et, qua nihil peccantem ſe non dubitauerit cumulare, petulantem ignominiam. Vindictam ergo vt a fratre ſumat, lacrumans patrem adit, multaque iſtius ſtudet proferre crimina; inter alia quidem, quod puer iſte ſpeculum, feminis proprium, contrectarit atque inſpexerit. Pater filiam filiumque amplectitur, oſculatur vtrumque, et amorem inter natos longe tenerrimum eadem ſuauitate partitur. Quotidie vos, inquit, et crebro ſpeculum conſulere volo; tu, fili, formam vt moribus inquinare verearis; tu, mea filia, vt, quam natura negauit, gratiam virtute tibi conciliare ſtudeas.

FAB. IX.

Socrates ad Amicos.

Vulgare amici nomen, ſed rara eſt fides.

Quum paruas aedes ſibi fundaſſet Socrates,
(Cuius non fugio mortem, ſi famam aſſequar,
Et cedo inuidiae, dum modo abſoluar cinis)
E populo ſic, neſcio quis, vt fieri ſolet: 5
Quaeſo tam anguſtam, talis vir, ponis domum?

Vti-

Vtinam, inquit, veris hanc amicis impleam.

Nusquam tuta fides.

Vbique obuium amici nomen est: sed fides rara auis in terra. Socrates tantam sibi sapientia et meritis comparauit nominis famam: vt ego, si gloriam eius liceret assequi, parem fugere nollem vitae finem; ac inuidiae quam lubentissime cederem, si modo mea me absolueret post funera virtus. Summae auctoritatis ille philosophus, optimam ratus esse domum, cui superfluum nihil abundet, ac nihil necessarium desit; cum paruas sibi aedificaret aedes: e vulgo aliquis, vt fieri solet, miratus, quaeso, inquit, tam illustris vir sibi tam angustam cur exstruit domum? At ille, vtinam, respondet, hanc domum veris amicis implere possem.

Fab. X.

Poeta de Credere et non Credere.

Periculosum est credere, et non credere.
Vtriusque exemplum breuiter exponam rei.
Hippolytus obiit, quia nouercae creditum est.
Cassandrae quia non creditum, ruit Ilium.
Ergo exploranda est veritas multum prius, 5
Quam stulta praue iudicet sententia.
Sed fabulosa ne vetustate eleuem,
Narrabo tibi, memoria quod factum est mea.
Maritus quidam quum diligeret coniugem,
Togamque puram iam pararet filio, 10
Seductus in secretum a liberto suo,
Sperante heredem suffici se proximum.

Qui